

MARTINO OPITIO  
Medicinæ Candidato.

**A**mbitio nullum te prodiga vexat, Opiti,  
Transversumq; aliò pompa supina rapit,  
Cum tamen in medicis possis prestare teipsum,  
Atque etiam Cois cernere Marte viris.  
Sensi ego, cum tristi quondam languore jacebam,  
Et sanis privus viribus, atq; mei,  
Tu certis miscens præstantia pharmaca rebus,  
Reddebas me omnem viribus, atq; mihi.  
Virtuti hoc omni sacrum & solenne videmus,  
Quam nosci tacito velle tremore coli.

---

GEORGIO SEVERO  
Cantori benemerentissimo.

**D**octe Severe anima ac nostri vox persona tem-  
Et tuba laudati dulcicanora Dei, (pli,  
Si præceptori meritas cui debeo grates,  
Id debere etiam me reor omne tibi,  
Quo, non ingenii defectu, at mente petulca  
Flectebam, atq; sui prodigus ibat amor,  
Tu benefacta probare, & non facienda negare,  
Immiscens verbis dicta severa bonis.  
Quod si, ceu fateor, me ais edocuisse, probabis  
Ingenium nostrum, vestrum ego iudicium.

CAS.